DEO OPTIMO MAXIMO VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS VIII. MARTII,

M. NICOLAO BRAIER Doctore Medico, Moderatore.

An vna bene valendi ratio, mediocritas?

MEDICINA, ſi altiùs rerum originem repetas, non inuenitur vnde ad homines manare potuerit niſi à Deo. Cùm alia reſtituendæ valetudinis, alia conſeruandæ præcepta ſint, diæta reliquis medicinæ partibus antiquior, & vtilior. Finis illius non eſt, ſed actio, ſanitatem conſeruare: hæc corporis vna perfectio, & virtus, condimentum diuinum, fonſque omnis veræ voluptatis, rectè harmonia dicitur: eius flos quidam pulchritudo, & præcipuus fructus actio eſt. Licèt qui ſanus eſt nullis ſe obligare legibus debeat, bonæ tamen valetudinis magna cura habenda eſt, quod facile fiet, ſi cogitaueris quantas ſecum morbus afferat moleſtias: quid enim boni habeat ſanitas, languor oſtendit: vt diù perſeueret, firmum eius fundamentum in pueritia iaciendum. Rectè definietur ſanitas actionum integritate, καὶ εὐσταθείᾳ: omnes homines actionibus illæſis bene ſe valere arbitrantur; ſani ergo qui ſine dolore, & facilè operentur: qui enim debilior, proximus ægrotanti, quamuis actionum omnis imbecillitas non arguat morbum, ſed ſanitas optima, quæ ad omnia vitæ munia obeunda optimè habet: ita non erit vna tantùm pars temperata, quod cum accidit, ex vnius partis temperamento, non fertur iudicium de altera, ſed totum corpus erit temperatum; nam cum corporis bona alia ſint in toto, alia in partibus, valetudo, vires, pulchritudo in toto ſunt. Oritur autem ſanitas ex commoderatione quatuor humorum; tot enim ſunt in homine quandiu viuit, & ex iis valet, cum, vt par eſt, ſibi inuicem reſpondent; nulluſque aliis præpollet; vnde natura ſemper occupata eſt in expurgando ſanguine: vbi vero ſecretum fuerit calidum à frigido, quo nutriebatur, & velut Dorica harmonia Lydiâ ante temperabatur, tunc homo malè habet. Optima ergo corporis conſtitutio, quæ temperatiſſima eſt, licèt quæ temperatiſſima, non proinde ſit optima: in temperamento ſola ſanitas partium ſimilarium: in recta conformatione, organicarum ſanitas; ita vt qui bene valeat, & rectè conformatus ſit, & temperatus. Qui ſanitatis latitudinem tolleret, negaret medicinam; ſua enim illi latitudo eſt, vt & temperiei: quæ ex æquali & apto elementorum dominio intelligitur. Ex his, quæ velut mundi quædam radices ſunt, inter ſe depoſitâ diſcordiâ temperatis, & mixtis, animantur formæ, earumque rerum quæ gignuntur è terra, hominique materia ſuppeditatur, ſed in minutiſſimas partes, propriâ formâ euaneſcente, priùs atteruntur, vt in hominis corpus abeant, ſuumque id animæ vehiculum elaborent; corpus enim è terra, quæ ideo corporis ſemen eſt, ſpiritum (mortalis animalis immortale principium) è cœlo poſſidemus; ſed & hominem neceſſe eſt non eſſe vnum, neque doleret niſi conſtaret ex pluribus; etſi tamen non ſit vnus, conſpiratio vna eſt; & ſi quis vnam partem lædat, totum corpus, affectum ſentiet.

CORPORI ſi quærimus quid optimum ſit, id ratio cogit fateri, per quod fit vt ſe corpus optimè habeat. Eiuſmodi eſt ex conſenſu primarum qualitatum enata temperies. Quidquid nimium eſt, aut deficit, parit incommodum: corpus quod male conſtitutum eſt, quouis morbo multùm læditur; quotieſque offenſum corpus eſt, vitioſa pars maximè ſentit; omnibus morbis obnoxia maximè infirmitas: caue tamen imbecillitatem aliud putes quàm vniuſcuiuſque partis intemperiem, καὶ ὄνομα ψιλὸν γεννῶνται τὴν ἀτονίαν. Ex intemperie morbus: is reliquis animalibus communis. Ægrotare aues, plumæ argumento ſunt: piſces etſi à peſte immunes, ægrotant tamen: non maior terreſtrium animantium ſecuritas: etiam apes ægrotant, & inſecta: infeſtantur quoque arbores morbis: quid enim gentium caret his malis? ſed nihil vſquam mali, quod in homine non ſit. Millia morborum ſingulis mortalium timenda, quæ nec libris cuncta comprehenſa ſunt. Origo mali præcipua, τὸ ἰσχυρὸν ἑκάστῳ, καὶ τὸ κρέσσον τῆς φύσιος. Vehementior à causa interna morbus: τὸ ξηρότερον πυκνὸς νόσος λάζεται: mulieres pinguedo carnis, & humiditas ſteriles facit: in vliginoſis terræ locis ſemen ſuffocatur; quod ergo humidius vel ſiccius, ad mediocritatem reuocare oportet, ne alterutrius exceſſu totum corpus labefactetur. Vt ab aquis in lebete bullientibus vapor ſurſum, ſic & in corpore calidiori; qui propterea capite ſunt calidiori, aquæ dulcis balneo foueantur frequentiùs. In bilioſo, ſi imbecillior ſit ventriculus, niſi roboretur cibis, excrementa à vicinis partibus accipiet: hinc vino vtere propter ſtomachum, ſed modico, ne hoc ipſum remedium, ob copiam alio remedio indigeret. Tollit famem immoderatus calor, nimiam facit acidi humoris vitium. Difficilis morbus, cum frigidus humor in ventriculum calidum deſcenderit. Humor acrior pruritum excitat, modò vlceris ſenſum, interdum horrorem, & rigorem: pallida bilis in vniuerſo corpore morbum regium, ſi vnam tantùm partem afficiat, eryſipelata, & herpetes excitabit. Frigida multaque humiditas, non tantùm ſomnum profundiorem conciliat, ſed lethargum. Salſa pituita, fluxionum omnium fons. σφαλεραὶ ἀκρότητες. Calentibus ingeniis vinum ſubſtrahe, nec ignem igne incita: vinum & adoleſcentia, duplex incendium: puerilis, & ſenilis ætas ἡλικίαι ἐλέειναι. Et quidem, infans in vtero, vitam magis piſcium quàm hominum viuit; cum naſcitur, ex vtero affert initium morbi: & in multis ætas à ſenectute non deſinit, ſed incipit. Habet etiam quandam ſenectus infantiam, biſque pueri ſenes; auget tamen ſapientiam. Si minùs peſtilentiam ſentiunt, quiuis morbus ſatis eſt, vt citò moriantur: anima ſenilis in primis labris eſt, nec magna vi diſtrahitur à corpore. An ergo ridiculus ſexagenarius ſenex qui medico manum porrigat? Naturam certè vincere, non eſt naturæ noſtræ.

EX quo quiſque in iſto corpore morituro eſſe cœperit, numquam in eo non agitur, vt mors veniat, immo priuſquàm anima ſeparetur à corpore, morimur ſæpius: quotidie enim demitur pars aliqua vitæ, & in ortu adhuc ſuo, ad finem natiuitas properat: ſicque nobiſcum mors ipſa circumfertur: noſtra certè mutatio clauſis vel in totum homericis oculis liquet. Naturali huic malo ζῳοῖσι τροφή: reficimus quotidianas ruinas corporis edendo, & bibendo; neque alia potiora τῆς ἀδυνίας ἡμῶν ὑστερήματα: cùm quæ exinanita ſint, cibi expleant; corpora ergo ob perpetuum illum ſubſtantiæ fluxum nutrienda, & partes nullæ quæ alimento non indigeant, non tamen æquali, nec ſimili, quanquam omnes dulci, & non ſimplici, quod nec ipſis plantis conueniret. Vt omnibus non competit idem pharmacum, ſic neque idem cibus: nec medicina quæſita vnquam aut inuenta fuiſſet, ſi vna & eadem eſſe poſſet hominum omnium viuendi ratio. Simile ſimili σύγγενες; an ergo contrario contrarium nutritur? qui cibum ſumpturus eſt, eo priùs egeat, non ventris ſcilicet, ſed animæ causâ, quæ corporis fulturâ ſuſtinetur. Tales ac tantas ſume eſcas, quibus non oneretur corpus. Cùm edendi, & bibendi nulla voluptas ſit, niſi præcedat eſuriendi, & ſitiendi moleſtia, fuge cibos qui vel non egentes ad edendum incitarent. Medicus non haberetur ſed coquus, qui neglectâ vtilitate, in victu inſtituendo haberet tantùm rationem voluptatis, quæ blandum malum appellari poteſt; voluptas tamen quæ à cibo percipitur naturalis, vel magis quàm quæ ex venere: ſed ex quocumque fonte hauriatur, cum ex iis percipitur quæ naturæ conueniunt, vera erit, & naturalis. Quemadmodum quod cum voluptate diſcitur, faciliùs animo continetur: ſic alimentum paulò quidem deterius, ſed iucundius præferendum, quòd ventriculus complectatur illud coquatque faciliùs, eo ipſo poſtea nutriendus. Si ſuperetur cibus, nullus morbus: illius vtilitas non ſolo ſenſu æſtimanda, ſed adhibitâ ratione. Alimenta vel omnino temperata, cuidam tamen intemperata. Si prauis cibis ruſtici interdum minùs lædantur, cauſam ſomno profundiori imputa. Partes principes puriſſimo alimento nutriuntur: minùs præcipuæ, deteriori. Nec ſonus, nec color, nec odor nutriunt. Alimentorum omnium ἄρτος ἀναγκαιότερος. Imò panis ſolùm neceſſarius, & facilis cibus, ἄριστον ὕδωρ, καὶ ζωρὸν, & naturalis potus. An ergo vinum potus vtiliſſimus? Non tantùm certè corpus, ſed animum calefacit, ſenibus aptiſſimum eſt, bilioſis & ieiunis nocet, aliquando capitis dolorem ſedat, quem aquæ potus interdum exaſperat: ſi quis eo recuſaret vti vanâ ſuſperſtitione, non ſanctior, ſed debilior fieret. Vinum virgo fugiat pro veneno, in quo luxuria eſt, & ſine quo friget Venus. An hyeme ob tempeſtatis frigus vinum vtilius? Καθαρτικὸν ἔχει ἀπὸ τῆς ὕλης, & ad medelam etiam corporis noſtri tributum eſt: an ergo remediorum iucundiſſimum?

CORPORI imbecillitatem peperit animæ malæ vtentis auiditas: plurimæ ægritudines eſcarum largitate contingunt, cum impletur in ſuccum cibis fortioribus corpus, vt ſaginatum in pœnam cariùs pereat. Mala hæc diæta, ſi plures cibi ingerantur; quæ deſiderantibus alimenta erant, onera ſunt plenis: tuncque ſi corrupta ſunt, nil commodius eſt, quàm ea quâ viâ primùm expelli poſſunt, eiicere: γαστρὸς ἀπληστίᾳ νόσος. Athleticus habitus non eſt à natura, nec fieri poteſt vt nimia ſanguinis copia conquieſcat, αἱ γὰρ ἐς ἄκρον εὐεξίαι ὑποσφαλεραὶ ἔχουσι καὶ μεταπτώσεις. Vt nauis plus æquo onuſta naufragio patet, ſic corpora ſatietate, velut nimio onere depreſſa, morbis obnoxia. Imbecillior actio ab aucta carne, & adipe, nec robuſtior à ſanguinis incremento, ſed virtutis. Cùm intemperantia ægrorum ſæpe mortis cauſa ſit, quidni poſſit frugalitas producere ſenectutem? Non minus tamen erratum hominis pauciora quàm par ſit aſſumentis, tunc πικρόστομα, vrinæ bilioſæ: extenuandi, & ſiccandi vi prædita eſt μονοσιτίη: aluum ſiſtit: an ergo non prandentium exta celeriùs ſeneſcunt? Non conuenit vero iuxta inediam ſatietatem eſſe. Mala quoque viuendi ratio cum diſſimiles & varii cibi adſumuntur, licèt iis animalia magis delectentur; multos morbos multa fercula fecerunt, eorumque ex ciborum diuerſitate diuerſitas: hinc multi continuis voluptatibus pallent, nimiæque voluptatis amore τὴν ἡδονὴν ἀφανίζουσι: nihil enim ad morbum potentius, quàm ſi modum dolor aut voluptas exceſſerint: validiſſima edulia hominem maximè lædunt. Talia voco in quibus plurimùm alimenti eſt: ex cibo imbecilliori vita breuior: quò maius quodque animal, eò robuſtior ex eo cibus. Ouum durum valentiſſimæ materiæ. In cibis mali ſucci vis ad morbum maxima. Boleti anceps cibus, vel voluptuarium venenum: fungique, non cibi, ſed oblectamenta ſunt ad edendum ſaturos cogentia. Quidam fungorum eſu ſtatim perierunt: difficilior obſtructio quæ ex cibis oritur, quàm quæ ex vino: ſi quis verò accuratam diætam inſtituere minùs poſſit, venæ ſectione, & purgatione ſibi interdum conſulat. Labor, cibus, venus, omnia mediocria. Etſi venus à pluribus morbis liberet, ſitque vtilis morbis à pituita, ipſæque etiam aues niſi incubent ouis, ægrotent; raritas tamen eius vtilior; citiùs ſeneſcunt quæ coëunt ſæpius; gallinæ poſt partum frequentiùs intereunt: aper à coïtu imbecillior; plantæ ſtatim exſiccantur quæ vberiorem fructum ferunt. Vt corpora impura nutriri non poſſunt, quin lædantur ampliùs; ſic neque venus corpori malè affecto conueniet, non magis quàm lugentibus intempeſtiua hilaritas. Maiorne alia voluptas & vehementior quàm quæ ex venere percipitur? numquid huius voluptatis ἐπικάλυμμα νύξ? An ergo natura erubeſcenda eſt? coïtum libido, non conditio fœdauit: non fuiſſet antea indecens vt puderet, quando eas partes mouiſſet voluntatis imperium: non caro concupiſcens aduersùs ſpiritum: nunc αἰδοῖα φύσις ἀπειθὲς τε καὶ αὐτοκρατὲς, & peccato dehoneſtata natura. Niſi præiſſet facinus quod inobedientia eſt auſa committere, non ſequeretur dedecus quod verecundia vellet abſcondere.

QVIDQVID immoderatum eſt, diſſolutionem efficit animæ: huic quidem multa à corpore mala obueniunt. Sui ſunt quoque corpori ab animo morbi; ſed & bona quàm plurima, cùm bene affectus eſt; ſæpe anima corpore abutitur, idque totum commouendo morbis replet. τὸ μέτριον ἑκάστῳ μὴ πρέσσω. Quod in vnaquaque re ſatis eſt, ſemper finem ſuum aſſequitur. Cùm igitur certi ſint fines, & modus in rebus quibuſuis, ad eum ſemper collineare oportet. Quidquid nimium, naturæ inimicum; quidquid præter naturam, & violentum, dolorem ex ſe fundit. Quiete indigentibus nox κάλλιστον ἀναπαυτήριον: nam noctu dormire melius eſt. Somnus ſi modum exceſſerit, malus: malus quoque vigiliarum exceſſus, attenuantque nimiùm vigilatæ corpora noctes. Qui comedit, ſanus eſſe nequit, niſi exerceatur; contrarias inter ſe vires habent cibus, & labor; ſi tamen ſibi inuicem reſpondeant, ſanitati vtiles. Cùm alimentorum ſuſtentaculis indigeamus, cibo natura poſcit ſupplementa quæ deſunt: labor corpus firmat, excrementa conſumit, articulis & carni prodeſt, facilioris partûs cauſa eſt, ſanitatem promouet, ſed cibum antecedat: immoto corpori ferè cibus non adhærebit. Solidiſſima pars corporis quam frequens vſus agitauit, cùm langueant per inertiam ſaginata: corpus tamen otioſum, ſi multùm exerceas, diſſolues. Animus ipſe agitatione motûque corporis excitatur, deſidiâ retardatur, quæ non tantùm improbitatis magiſtra eſt, ſed obliuionis artifex, quam imis diffundit ſenſibus. Optima exercitatio, ſi neque animus ſine corpore, nec corpus ſine animo exerceatur: ἡ ἐν αὐτῷ ὑφ᾽ ἑαυτοῦ ἀείση κίνησις. Moderata eſt quæ ad anhelitus mutationem procedit, eamque commodè definiet ἱδρὼς ῥέων στάγδην. Fugienda exercitatio, cuius labor ſpiritum exhaurit: præterquàm quòd animorum impetum aſſiduus labor frangit, conſumit quidquid in nobis mite, placidúmque eſt, & acria concitat. Laſſitudo exercitationis vel robuſtiſſimis, finis: ſi cum phlegmone iungatur, ne paucis quidem horis aberit febris: poſt nimium cibum fugienda exercitatio: & cùm futura inedia eſt, labor quoquè omnis vitandus: ὅσα τοιητικὰ τῶν ἀῤῥένων ſeneſcunt citiùs; boues tamen exſecti, qui laborant, diutiùs viuunt; minùs equi, qui in præſepi nutriuntur. Αἱ μεσότητες ἄκμαι. Nullis aut nimiis menſtruis non fit conceptio. Regio ipſa quæ in medio calidi, & humidi ſita eſt, fertiliſſima: lætiora omnia in Aſia, ob temporum anni temperiem. Sano corpori periculoſa purgatio, impuro adhibenda, ſublato pleniori victu. Si nimia ſit, ex leui morbo, magnum faciet; ex vno, plures; ſi leuior, humorem noxium excitabit magis quàm excludet. Paſſiones non inutiles: illas tamen coërcebit philoſophus animi causâ, Medicus ob ſanitatem corporis: nec beata, in diſcordia dominorum, domus, nec animus ſecum ipſe diſſentiens, ὀξυθυμίη cordi, pulmoni, capiti periculoſa; cor relaxat animi tranquillitas; mediocritas, vbique pulchritudo, & virtus. Vna ergo bene valendi, & bene viuendi ratio μηδὲν ἄγαν.

Ergo vna bene valendi ratio, mediocritas.

Proponebat Lutetiæ IOANNES HAMON Cæſarisburgenſis, A. R. S. H. M. DC. XLVI.